



Præfamen.

Annulum ortum suum ducere à Prometheo autor est Plinius l. ii. in proëm. dum refert: Prometheum ferrea catena Caucaso affixum à Jove captivorum, quos visum venerat, precibus defatigato libertati restitutum esse, hac lege & conditione, ut in gratam sempiternæ captivitatis & recuperatæ libertatis memoriam annulum è catena fabrefactum, & frustillo è Caucaso Adamantis ad instar ornatum, digitoq; insertum gestaret. Hæc equidem Poëtam produnt, sed interpretem desiderant, mortales scilicet iniquissimo Satanae jugo subiectos Deus oriens ex alto visitavit, miserosque immensa sua bonitate adductus ex æterna suppliciorum, quibus luebant, ærumna in lætissimum pristinae libertatis statum revocavit, seriò inculcans, ne aliquâ ratione committerent, quo tantorum erga se beneficiorum memoriam ulla unquam deleteret oblivio, sed incomparabilem **ÆTERNITATIS** annulû, quo per gratiosissimam illam visitationem donati sunt, nunquam non gratissima recordatione colerent; quem in finem quoq; D. T. O. M. menti humanæ à prima statim nativitate indidisse videtur, quod singulari quodam amore & desiderio considerationis sui ortus teneatur. Hæc me imprimis, ut animum ad præsentem materiam applicarem, impulerunt: quamvis insuperabiles eam premere difficultates non sim nescius: æternitatem enim expendi quidem, comprehendendi minime, cogitari, ast explicari